DE ASPIRATIONE LATINA
QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVIII M. MARTII A. MDCCCLXXXI HORA XII

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

CAROLVS GEORGIVS BRANDIS

HOLSATVS

ADVERSARII ERVNT

AVGVSTVS KALKMANN
LVDOVICVS ENTHOVEN
FRIDERICVS KOEPP

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXI

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.

I. DE *P* TENVI IN LATINIS VOCABVLIS ASPIRATA.

Constat extremis liberae rei publicae temporibus primisque Caesarum saeculis legitime graecam φ expressam esse per lat. *ph.* *Philippum Philargyrum* sim. sexcentiens in titulis et publicis et privatis invenies eamque legitimam et usitatam fuisse orthographiam apud Romanos testantur grammatici.

Sed etiam imperatorum temporibus φ per solam *p* scribitur in titulis maxime privatis, v. Hoffmannum indicis ad Africae titulos latinos p. 47 et Mommsenum Hermae XIV p. 69. pauca proferam exempla. quae in -φορος exeunt vocabula graeca non solum Varronis temporibus (v. Buecheleri declinat. lat. p. 12) sed etiam imperatorum a Romanis per *-por*, abiecta terminatione, redduntur ut in laterculis militum a. 205 CIL VI 1057: *Sympor* (I 81), *Telespo[r]* (I 125), *Eupor* (II 96) et a. 210 ibid. 1058: *Eupor* (II 22). in quibus dentalis aspirata sequitur φ litteram, ea vocabula saepe per *pth* non per *phth* scribuntur ut *Melipthongo* CIL VI 2340, *Apthonus* v. Momms. p. 70 adn. 1, *Apthon[etus]* apud Hoffmannum. hanc ut ita dicam antiquam orthographiam invenis in glossariis, quamquam plerumque φ aut per *ph* aut per *f* scripta exstat, velut glossar. Amploniani p. 361[189]: 'penix (phoenix): genus aquile' ibid. [213]: 'pisema (physema): specular[1]' ibid.

[1] Glossa: 'pisema: specular' exstat etiam in Hildebrandi gloss. p. 242[140]; sic emenda glossas Isidori p. 689[57]: 'pisseima: speculor' et Mai cl. auct. VI 539: 'pisema: spelunca'. specular vel specularis

364^{393}: 'parmacopula: medicamenti venditor'. huc spectant Probi praecepta[1]: 'amfora non ampora' 'strofa non stropa' 'porphyreticum marmor non purpureticum marmor', append. p. 199^{17}.^{7}; 197^{19}.

Vides non satis certam fuisse orthographiam in φ reddenda et volgum — nam ad volgarem sermonem recte referuntur plerique tituli Probique praecepta — saepe dubitasse φ utrum per *ph* an per *p* recte scriberetur, cum docti homines grammaticique iam diu constantem in his rebus orthographiam sequerentur.

Praeterea saepe aspirationem ab altera ad alteram litteram transtulerunt Romani. exempla aspirationis ad *p* translatae habes haece:

Agatophus CIL VI 200 VI 18. 56.
Arphocras IRN 460; CIL IV 2193 III 6254.
Ephagato CIL V 8706.
Ephaprodite CIL IV 2443. Aephaproditus ibid. 2319 l.
Ipphonenses Renier 2896.
Pilipphus CIL IV 567.
Phutius Ephem. epigr. IV p. 51.
Phyrrice CIL II 2138 IV 1364; Phyrricum IV 1868, CIRh. 1442.

e libris m. s. his exemplis addo *Riphaeos* montes, v. Ribbeckium proleg. Vergil. p. 425 et Servium[2] ad Ae. IX 82, quia de *'Ριφαῖοι* e *Riphaeis* coniecturam falsissime fecerunt Roscherus Curtii Stud. I 2, 113 alii. eodem plane iure e lat. *Ephagato* graecum *'Εφάγατον* coniectura assequaris si pla-

sc. lapis est *Marienglas*. physema a Plinio n. h. IX 108 de cassa margarita dicitur.

[1] Grammaticus quin amphoram et stropham per *ph* non per *f* scripserit non dubito. nescio an append. p. 198^{1} 'homfagium non monofagium' recte emendetur in 'omofagium non omopagium'.

[2] Ceterum grammaticum GL VII 544^{25} scripsisse *Ripaeos* eius etymologia docet: 'Ripaeis: Scythicis, dicti ἀπὸ τῆς ῥιπῆς hoc est a vi ventorum'.

cuerit ineptire. ad omnia haec transpositae aspirationis exempla confer Consentii GL V 392[27] verba: 'per transmutationem sic fiunt barbarismi . . . aspirationis ut si quis Thraciam perversa aspiratione proferat et dicat Trachiam', qui exempla sua ex usu cottidie loquentium hausit.

Sed aspirationis etiam graecis vocabulis quae π sive principalem sive mediam habent, additae exempla in lingua latina exstant[1].

Bosphorus, *Bosforus*. aspiratae formae exempla protulit Fleckeisenus annal. philolog. t. 99 p. 656 et t. 101 p. 458 Schmitzius *Beiträge zur lateinischen Sprach- und Literaturkunde* p. 136, quibus adde commentor. Bernens. Luc. ed. Vs. p. 313[1] adn. *Bosforus* cui adscripsit quidam s. X aut XI *quidam diabulus*, de Lucifero ille cogitans qui est φωσφόρος. Bosphorum plebeiam quidem sed non tertio aut quarto p. Chr. saeculo antiquiorem formam esse puto, a qua optimi scriptores titulique[2] abstinuerint v. e. gr. exempla e Tacito a Fleckeiseno prolata et CIL III 1344 'ala I Bospor' quocum consentit Notitia Dignit. p. 96 Boeck. 'cohors miliaria Bosporiana Arauraca', *Bosporus* viri nomen est in titulo apud Le Blant 609[49]. exempla *Βοσφόρου*[3] apud scriptores Graecos eosque Byzantinae aetatis vide in Stephani thesauro.

---

[1] Per se intellegitur *sphongia sphondylos sciniphes* tal. quorum aspiratam formam apud Graecos in usu fuisse constat, ad hanc nostram quaestionem non pertinere.

[2] Tituli CIL III 1197 et IRN 1994 *alam Bos.* exhibentes nihil ad hanc nostram quaestionem faciunt. Gruteri p. 389[7] titulus: 'praef. coh. II Bosforanorum' falsus est v. IRN *433.

[3] Propter id ipsum quod *Bosphorum* prius apud Romanos quam apud ipsos Graecos in usu fuisse apparet, minime adstipulor Roschero Curtii Stud. I 2, 113 et annal. phil. t. 101 p. 455 aspirationem illam a sermone graeco profectam esse indeque ad Romanos pervenisse contendenti. de *gryphibus* idem tulit iudicium Roscherus. sed *gryphes* vel *gryphi* quoque multo prius apud Romanos in usu fuerunt.

Romani vero nisi fallor *Bosporo* aspiraverunt ad exemplar Phosphori Telesphori al.

Carphim[*ae*] CIL V 8699.

Enipheus codd. Verg. Rbc ge. IV 368 v. Kelleri Epilegomena Horat. ad c. III 7, 23.

gryphes vel gryphi. prima aspiratae formae exempla invenis in cod. Salmas. s. VII anth. lat. ed. Ries. 327[8], in cod. R. s. IX Plinii n. h. XXXIII 66, in cod. Leidensi s. IX Solini p. 97[11]. contra antiquissimi optimique codices Vergili ecl. VIII 27 Melae II 1 Plinii n. h. X 136 VII 10 XXXIII 66 Solini p. 97[11] *grypas* vel *grypos* scribunt, quibus adde consulem a. 88 *Plotium Grypum* CIL VI 2065 (II 65), iam certam facies coniecturam scriptores optimae aetatis abstinuisse ab aspirata forma eamque in usum venisse iam vergente latinitate. cum e γρυπός genetivo noviciam formam *grypus -i* formarent Romani, eo facilius huic formae addiderunt aspirationem quo maior similitudo intercessit inter *grypum* et *griphum* (γρῖφος). quae si vera sunt, a *gryphis* ad *gryphas* quoque translata est aspiratio. unum et quod non satis constare videatur γρυφός exemplum e Simeonis Sethi historia animalium attulit Dindorfius in Stephani thes.

Melamphus cod. R. Verg. ge. III 550.

Melpho[*me*]*ne* CIL II 4431; alia exempla vide in Kelleri Epileg. Hor. ad c. III 30, 16 IV 3, 1.

Olumphus Garuccii syll. 1849 — Olumphia IRN 6410 — Olymphus Garuccii syll. 1365, CIL VI 3684 — Olymphiacae cod. P. Verg. ge. III 49 — Olimphi formam exhibent Commenta Bernens. Luc. VII 478—9 ed. Vs. p. 241[4].

Pharnasii cod. P. Verg. ecl. X 11.

Pharon cod. M. Verg. Ae. III 126 quod nisi fallor librarius cod. M. scripsit cum *Paron* et *Pharon* (Aegypti insulam) permutaret.

Phasintigrin cod. Mon. Plinii ed. Sillig. VI p. 995. librarius Phasintigrin scripsisse videtur, cum priorem voculae partem cum *Phaside*, Colchorum fluvio, componeret.

Phindarus CIL V 8485.

Phisidae in lege Antonia de Thermensibus a. u. c. 683 CIL I 204 II 32 contra ibidem XV^{ies} *Pisidae*, bis *Peisidae*.

Phylades Garuccii syll. 1862, CIL VI 766, v. Kelleri Epil. Hor. ad. s. II 3, 139.

Phyramo CIL VI 2313.

Stilpho v. Fleckeisenum annal. phil. t. 101 p. 458.

Symphosius anthol. lat. ed. Riese no. 286.

scorofio (scorphio) est vocula plebeia qua usi sunt grammatici v. indicem ed. Lachmannianae.

trophaeum, unde venit in linguas quas dicunt recentiores fr.-gall. *trophée* augels. *trophy* germ. *Trophaee*. in titulis latinis[1] quamquam non nisi *tropaeum* invenitur v. Orellii syll. 5088, 5433 a. p. Chr. 86, CIL VI 1196 a. 405, 3736^{9}, — et Varro Bimarci fr. 61 Buech. et Servius quoque ad Ae. X 775 (ex hoc fluxerunt quae habet Isidorus or. XVIII 2 3), cum *tropaeum* a τροπή derivarent, *tropheum* non *trophaeum* dixerunt — tamen de *trophaei* et plebeia et recentiore forma dubitari nequit. iam in noni saeculi libris m. s. *trophaeum* usitata est forma v. cod. Bernens. Verg. ge. III 32 Ae. XI 7. cod. Paris. glossarii Hildebr. p. 286^{133} ^{134}, in libris vero IX saeculo recentioribus tantum non constanter scribitur.

Causa cur Romani illis de quibus nunc agitur vocabulis graecis addiderint aspirationem, certe non sita est in vocalibus consonisve aut praecedentibus aut sequentibus; conferas velim: Enipheus gryphes scorofio trophaeum Bosphorus Carphime Melphomene Olymphus Pharnasii Phindarus Phylades. in quibusdam certa aspirandi caussa in propatulo est, vide quae ad *Bosphorum gryphas Pharon Phasintigrin* adnotavi; in aliis latet, nisi mecum consenties e nimio quodam aspirandi studio et magna illa in φ reddenda fluctuatione evasisse ut *Melamphum Phyramum* sic *Olymphum scorofio tro-*

[1] De lectione titulorum CIL VI 1207 et 1163^{23} non satis constat.

phaeum hoc uno intercedente discrimine quod illa semel quantum scio dicta sunt, haec vero complurieus iterata paullatim aspirationem ut legitimam induerunt.

Haec hactenus de vocabulis graecis. sed cum grammatici latini *φ* non nisi per *ph* scribendam esse praeciperent, *φ* etiam per *f* scribi coepta est. haec nova orthographia primum invenitur in titulis Pompeianis, tantum non constans et in publicis et in privatis titulis est demum inde ab a. p. Chr. n. 350; cf. Mommsenum Hermae XIV p. 70. ex hac inter *ph* et *f* fluctuante in *φ* reddenda orthographia recte ut mihi quidem videtur expediuntur ea exempla, in quibus latina vocabula quibus *f* debetur per *ph* scripta exstant. e titulis collegi exempla haece:

Alphia[1] *Redempta* IRN 798. Alfii nomen italicum esse bene notum est. *Alphius Alphia Alphenus* in codicibus quoque scribuntur, nisi fallor eam ob causam quod scribentium animis Ἀλφειός tal. obversabantur. quae inter *Alfium* et *Albium*, eadem ratio intercedit inter *Alfenum* et *Albinum*.

Lucipher CIL III 342.

Orphitus[2] Scipio Orphitus CIL VI 644 a. 149, Orphitus IRN 5705 a. 172. *Orfiti* scriptura legitima et ab etymologia probatur, v. Buechelerum interpret. tab. Iguv. II p. 15 *Orfitum* cum lat. *orbita*, umbr. *urfeta* comparantem. *Orphiti* scriptura profecta est e comparatione quadam huius voculae cum *Orpheus*.

Palphurius CIL II 934. contra Palfurius Sura V 8112[64], Palfurianus VI 2315, Parfuleius VI 200 (II 75)

---

[1] *Alphii* cognomen, ut Arrius Alphius CIL VI 2120, C. Val. Alphius CIRh 434 graecum est; de Alphia Maxi[ma] IRN 2945 non satis constat.

[2] *Orfiti* scripturam multi tituli exhibent, e quibus antiquissimos duos afferam: 'Cornelio Orfito Cos.' VI 1984[6] a. p. Chr. n. 51. idem Orfitus invenitur VI 353.

a. p. Chr. 70. In codicibus semper quantum equidem observavi *Palfurius* scribitur v. Suet. Dom. 13, Iuv. sat. IV 43, Script. histor. Aug. ed. Pet. II 88[8]. II 198[2], Itinerar. Antonini ed. Paleius p. 398[7]. quamquam nominis etymon nondum quod sciam indagatum est, tamen quin vere italicum sit recteque per *f* scribatur non dubito.

Phidelis[1] C. Publei Phidelis CIL VI 1058 (III 30) a. p. Chr. 210.

E codicibus, in quibus *f* per *ph* scribendi vitium late grassatur, pauca expromam exempla. sic in codicibus editionibusque plerumque scribitur *mephitis* (Mephitis si pro Dea est), quamquam in titulis non nisi *Mefitis* per *f* exstat v. CIL V 6353 IRN 307. 376. 377. 378. 1403. 4540. quam scripturam clare testatur Priscianus I p. 328[5], ubi Hertzius cum codicibus falsissime legit *mephitim*. addo quod per totam Italiam Mefitis colebatur, iam Mefitis quin sit italicum nomen, quod iure meritoque per *f* scribatur, nemo dubitabit, quamquam de voculae etymo nihil constat v. Prelleri Mythol. Roman.[2] p. 394. 522. sic recte Palimpsesti quoque Vaticani Cic. Verr. act. II lib. I 128 *Phaenii* scripturam — ed. Halm. p. 168[21] Cn. Phaenius;[23] Cn. Faeni (PH supra script.);[23] Fenio;[24] Cn. Phenio; Lagomars. 29 qui praeter Palimps. Vat. solus hunc locum servavit C. Fanius C. Fanii Cn. Fanio exhibet — expediemus, Ciceroni *Faenii* nomen restituentes. *Faenius* saepe in titulis invenitur e. gr. in CIL VI 1919. 1920. 199. 200 (VI 32.) Editores Ciceronis *Fannium* emendarunt, quod longius recedit a Palimpsesti memoria. In Lag. 29 *Fanio* tam *Faenius* quam *Fannius* latere potest. *Cn. Faenius* tam ignotus est quam editorum *Cn. Fannius.*

Omnia quae protuli aspirationis in vocabulis graecis et

---

[1] De *C. Rupho* CIL I 1394 non satis constat.

omissae et transpositae et falso additae et latinae *f* per *ph* graecam ut ita dicam aspiratam scriptae exempla quamquam abhorrent a legitima titulorum publicorum nummorumque orthographia et fixis in his rebus grammaticorum praeceptis, quae optimae aetatis scriptores quoque secutos esse nemo negaverit, tamen quae animadvertantur dignissima sunt. omnibus enim his exemplis docemur, in vivo volgarique quem dicunt Romanorum sermone aspiratam labialem, ut antiquitus ab eo alienam fuisse, sic ubi primum in eum translata est, paullatim pedetemptimque propagatam magnamque adeptam esse potestatem, quae imprimis eo cernitur, quod et multis graecis vocabulis π habentibus aspiratum est et multa latina vocabula quasi graeca essent per *ph* non per latinam *f* litteram scripta sunt. sed quo maior aspiratione in latinum sermonem translata novatio fuit — eius vim nos quidem in una littera monstravimus — eo magis eam in latinis quoque vocabulis transformandis vestigia reliquisse exspectari licet. et notum quidem est *c* et *t* litterarum in latinis vocabulis aspiratarum exempla nonnulla iam veteres grammaticos collegisse — v. Ciceronis or. § 160, Quint. I 5, 20, Probi cathol. I p. 10.[20] K. — et etiam in Oscorum monumentis huius aspirationis exempla exstare velut *Perkhen.* 86 Zvet. (in eodem titulo *aphinis* quid sit ignoratur) et *phim* in tab. Bant. contra si a Ciceronis Quintilianique *triumpo triumpho* (quod ut infra docebo latinum non graecum est) recedis, nullum aspiratae exemplum grammatici nobiscum communicarunt. quare operae pretium mihi visum est, titulos librosque manu scriptos denuo — nam pauca exempla iam collegit Roscherus in vol. II Curtii Studior. — perquirere, num exstent exempla, e quibus de aspiratione ut *c* et *t* sic *p* quoque in vocabulis Latinis addita certa fieri possit coniectura.

Iam secuntur quae inveni exempla. Ex eis quae praecedunt cognosces ut vocabula graeca ita latina quoque, quibus aspirationem additam esse aliunde constat, per *f* (= *ph*) scribi posse. Quare si e. gr. de *palphebris* constare mihi

videbatur, sine ulla dubitatione *palfebras* idem sibi velle quod *palphebras* censui. tum maximam adhibendam esse cautionem in colligendis exemplis ex antecedentibus patet. in unoquoque latino per *ph* scripto vocabulo quaerendum erit, num *ph* pro *f* scripta sit an pro aspiratae exemplo iure habeatur.

Semel aspiratum est vocibus hisce:

phiissimo in titulo Ostiensi primo p. Chr. n. s. confecto. v. Roscherum l. l. p. 425.

P. Popphaedi IRN 6306, 123.

phosit[1] CIL III 4579.

---

[1] Sciens omisi exempla de quibus parum constat velut *Limphidia* CIL II 4451, *Philumno* IRN 6558, *M. Philonius* CIL VI 736, *Calphur[nius]* II 1395, *Calphurnia* V 5617. Haec duo Calphurnii (Calphurniae) exempla pro certis habuit Roscherus, qui e Gruteri sylloge p. 766^8 et 905^6 sumpsit. Cum in Gruteri Muratorii Reinesii titulorum latinorum syllogis plura huius voculae aspiratae exempla inveniantur, quae Roschero et Schuchardto de voc. Lat. volgar. I p. 18 plane certa esse visa sunt, hoc monere velim ea ad unum omnia falsa et a medii aevi hominibus profecta esse, quod facillime ex hac tabella perspicies:

Calphurnia Grut. 931^{10} = IRN * 431.

Calphurnius Grut. 299^2 = IRN 697^{33} *Calpurnius*.

Calphurnia Mur. 1465^{11} = CIL II 2330 *Calpurnia*.

Calphurnio Rein. XIII 30 = Gori inscr. etrusc. II 39 *Calpurnio*.

Calphurni Mur. 8017 = Gori inscr. etrusc. II 31 et III 176 *Calpurni*.

Calphurniae Gori Ins. Etrusc. II 180^3, sed apud eundem I 49 idem titulus *Calpurniae* exhibens legitur; nam quin 'Dis Manibus Calpurniae (I 49; Calphurniae II 180^3) L. L. L. Heroidis' quamquam I 49 inter Florentinos, II 180 inter Volaterranos refertur, cui posteriori adscripsit: 'alicubi, in eadem civitate', idem titulus sit eumque false bis in syllogen suam receperit Gorius, vix dubium esse potest; certissime hoc *Calphurniae* exemplum nihili est.

Calfurnio Grut. 408^1 = CIL V 532^{25} *Calpurnio*.

Iam patet minimam esse titulis Reinesii IX 9 Ferrariano, quem frustra in CIL V quaesivi, *Calphurnius* et *Calphurniae* et Mu-

Raro quantum equidem observavi *ph* pro *p* in codicibus scripta invenitur.

Certe cavendum est, ne talibus quae semel in libris m. s. scriptae exstant neque aliunde comprobantur formis nimiam tribuamus fidem ex eisve certam de pronuntiatione faciamus coniecturam; neque magis titulorum *phiissimo Popphaedi phosit* exempla, quae certe prodierunt e magis magisque crebrescente aspiratae labialis usu quo homines parum litterarum urbanique sermonis periti inducebantur, ut tam graecis vocabulis quam latinis hic illic aspirarent, cum rara

---

ratorii 1358, 4 Tiburtino *Calfuriae* — siquidem re vera est pro *Calfurniae* (*Calphurniae*) — exhibentibus fidem, cum aliunde de iis quod equidem sciam non constet. In titulis ergo nullum certum *p* in Calpurnio (Calpurnia) aspirati exemplum exstat; non me fugit XII^{mo} p. Chr. n. saeculo recentiores libros m. s. hic illic *Calphurnium* exhibere, sed horum scripturis, praesertim cum ab optima totius antiquitatis memoria plane abhorreant, fidem quis est qui habeat? *Calphurnii* formam a medii aevi hominibus deformatam et titulis illis intrusam esse elucet. occasione data monebo me eisdem de causis *Semphronii* formam omisisse, quam Schuchardtus l. l. protulit, testimoniis non additis. ipse nullum X^{mo} p. Chr. n. s. antiquius *Semphronii* exemplum indagavi; hoc certum est, in titulis et optimis antiquissimisque codicibus Livianis Puteano s. VI—VII Laurishamiensi s. VI Veronensi s. V non nisi *Sempronium* scribi. prae his testibus recentiorum librorum m. s. scripturae nihili sunt.

Praeter haec omisi *Lophum* (. . . us P. L. Lophus) IRN 2383 g. III 5, quod graecum esse *Λόφον* quam latinum *Lupum* (de vocalis mutatione cf. Schuchardtum l. l. II 158, III 217) probabilius videtur. contra *Apphia* (Sentia Apphia mater CIL V 5380) est certe graecum *Ἀπφία*, quod ut *Ἀπφιάς* (cf. Apphias IRN 604) vel *Ἀφφιάς* (Affias CIL VI 2884) *Ἄπφιον Ἀπφίδιον* ab *ἀπφά ἀπφύς* derivatum est; de *Appio* vel *Appia* servorum libertorumve nomine probo de Vit in Onomastico sententiam, qui ea graeca non latina esse censet.

Nomen *Gramphicii* (C. Gramphicius Firmus CIL VI 2375^b II 31) quid sit nescio, nisi forte *Gramphicium* a *γραφικός* derivatum esse putandum erit.

singulariaque sint prae recta legitimaque orthographia, demonstrare possunt, Romanos formas quae a *ponendi pii Poppaedi* vocabulis descendunt non per solum *p*, sed per *ph* unquam pronuntiasse. tamen ut monstrem quam multa in his rebus ex analogia et similitudine quadam alterius cum altera voce profecta sint duo afferam exempla, alterum e Porphyrione ad Hor. Sat. I 5, 49 p. 216[18] M. cuius cod. M. *phila* (pila lippis inimicumst ludere crudis) exhibet, quod scripsit nisi fallor librarius cum *phila* (*φίλα*) eius obversaretur animo, alterum e Plauto, cuius Curculionis v. 463 sic in libris exstat:

'Halophantam an sycophantam hunc magis hoc esse dicam nescio.'

Libri plautini cum Nonio p. 120[8] Merc. = 125 Quich. in *halophantam* consentiunt. sed Festum Paulli p. 101[18] *halapantam* scripsisse libri docent eiusque etymologia. (' halapanta .... ab eo quod halet omnia. ἄλην enim Graeci τὴν (τόν?) πλάνην id est fallentem appellant'. vides Festo in *halapantae* posteriore parte πάντα latere visum esse; e Paullo sine ullo dubio glossa haece: ' halapanta: Omnia menciens' pervenit in Breviloquum Benthemianum nuper ab Hamanno editum). si memineris Plautum *sucopantam* pronuntiasse, cognosces Festi *halapantam* prae librorum Plauti Noniique *halophanta* antiquius esse magisque ad ipsum Plautum recedere. sed quis est halapanta? vetus codex (*halophantam am* ex *em*) *halophantem* exhibuit. luce clarius est in ea quam B exhibet voculae terminatione latere participium latinum in — *antem* exiens. si vero prior voculae illius pars *halap* potius quam *haloph* esse nobis visa est, quaerendum nunc iam erit, num *halapantem* participium esse possit. et exstat in plebeio sermone verbum alapandi, quod idem esse atque halapandi verbum, ad quod memoria Plautini illius versus recedere nobis videbatur, quis est qui neget? Roenschius in Musei Rhenani t. XXXIV p. 632 *alapari* significatu *gloriari, se iactare* usurpari docet; quamquam falsa est viri doctissimi etymologia. et cognatione et significatu *halapari* proxime accedit ad germ.

gelf = lautes Tönen, Brüllen, Spott, Uebermut, Hohn; *gelfen* = schreien, übermütig sein, prahlen. Et animadvertas quaeso ipsam hanc vim significationemque requirere Curculionis versum — nam eundem, quem halapantem an sucopantam recte dicat nescit, antecedente versu nugatorem lepidum dicit choragus, sequente vero versu 'ornamenta quae locavi metuo ut possim recipere' indicat sucopantae nomen (i. e. nostrum *Betrüger*) magis in illum quadrare sibi videri. opponitur ergo sucopanta hominum cuidam generi quod quamquam nugatorium bene dicitur tamen a deterrimo sucopantarum defraudatorumque genere differt; vide ne hunc sensum requirat versus: *einen blossen Prahler oder geradezu einen Betrüger nennen soll* e. q. s. isque quam proxime ad Festi Noniique voculae illius interpretationes accedat, qui halapantam mentientem interpretantur. his expositis nulli me quidem iudice dubitationi obnoxium esse potest, quin Plautus:

hálapantem an súcopantam hunc mágis dicam esse néscio,

scripserit; in fine versus restituendo secutus sum Goetzii novissimam editionem. si quis in *hālapantem* producta prima syllaba offendet, ei cum Guyeto post: *hălapantem ne* particulam inserere licebit. si Plautus *halapantem* scripsit, clare cognosci potest, quantum ad transformandam illam formam *sucopanta* valuerit. nisi B codicis exstaret scriptura *ha(lap)antem* — eam casu factam esse quis est qui contendat? — non refragarer contendentibus ipsum Plautum ab halapandi verbo ioci causa formasse *halapantam* ad exemplar *sucopantae*, ut graecam terminationem alibi quoque adhibuit v. *glandionida nummosexpalponides*, quamquam *halapanta* ad exemplar sucopantae formatum nec usitate nec recte est. Multo est ergo probabilius Plautum scripsisse *halapantem*, glossatores vero quibus halapandi plebeium et e volgari sermone petitum verbum parum notum esset, ex hoc effecisse *halapantam*, cum ut sucopanta vere Graecum est sic sequens quoque verbum graecum esse arbitrarentur. vide Festi etymologiam quae docet in *halapantem* re vera graecum voca-

bulum quaesivisse Romanos. Certissimum vero est, adspirationem quae sucopantae inde a VII u. c. s. recte addebatur effecisse, ut ex *halapantam* evaderet *halaphantam* et quo magis aequaretur *sycophantae* etiam *halophantam*. hoc igitur verbum aspirationem suam debet ei quod subsecutum est.

Haec aspirationis semel additae exempla pro meris vitiis potius quae e diversis causis orta sint quam pro veris quae in ore Romanorum versatae sint formis habenda sunt. neque magis e *sephulcro*, quod ter inveni in titulis Orelli 5423 CIL II 3317 VI 3452[6], hanc formam re vera unquam in usu fuisse conicies, cum inde ab extremis liberae rei publicae temporibus sepulcri orthographia inter *sepulcrum* et *sepulchrum* fluctuet; cf. Hoffmannum indicis gram. ad Afric. tit. lat. p. 38, et CIL VI haec *sepulchri* exempla: 2259. 3324. 3608. 1343. 2204[10], et ita quidem, ut *sepulchrum* quasi sit a *pulchro* (v. Charisium GL I 73[17]) plebeia magis ac volgaris forma fuisse videatur, quam grammatici condemnant, v. Cic. or. § 160. Gelli n. a. II 3, 3. Mar. Victorinum GL VI 21[23]. Caprum GL VII 93[2]. nemo dubitabit, quin in *sephulcro* aspiratio transposita sit. unicum est aspirationis in latinis vocabulis transpositae exemplum ideoque quod animadvertatur dignum. graeca eiusmodi exempla v. p. 6.

Ab his quae modo attuli exemplis ea quae secuntur eo potissimum differunt, quod aspirata forma plus minus in volgarem abiit usum. in haec potissimum inquirendum erit, ut causas cur vocabulis aspiratum sit cognoscamus.

Incipiam a *lympha*, *lymfa* (limfa). De *lumpa*, ceterarum formarum: *lumpha*, *lympha*, *lymfa* (limfa) origine iam diu ex osc. *Diumpaís* lat. *limpidus* cui addere poterant Lucilii *limporem* (ed. Lachm. v. 1190, Nonii p. 212 libri *limforem* exhibent), quod italica ut ita dicam terminatione ex eadem qua *limpidus* radice evasit, coniecturam fecerunt viri docti; v. Ritschelii opusc. phil. II 490 Roscherum l. l., testantur vero hanc antiquam veramque qua vetustiores Latini

utebantur, formam titulus Pompeianus CIL IV 815: 'L(u)mpas Romaneses', glossa Hildebrandi p. 200[194]: 'lumpae: aquae vel undae', et nisi fallor Varro de l. l. V 71 qui 'ab aquae' ait 'lapsu lubrico lympha' (sic libri). si Varronem etymologiae causa *lubrico*, ad quod *lympha* origine proxime accedere ei videbatur, addidisse patet, non *lympham* sed *lumpam* eum pronuntiasse et scripsisse mihi quidem certum est. sed cum idem de l. l. VII 87 *lympham* a *νύμφη* dictam esse censeret (idem statuerunt Festus Paulli p. 120[11]; Priscianus in art. gramm. GL II 36[22] et de figur. num. III 407), eum hoc loco *lympham* vel *lumpham*, si *numpham* quoque pronuntiavit, pronuntiasse apparet. duae igitur eiusdem voculae formae (lumpa, lumpha vel lympha) Varronis temporibus circumferebantur, quarum altera paullatim plane abolevit, altera in usum cottidianum abiit. in titulis cum *lumpae* formae unum exstet exemplum, inveniuntur: Lumphieis CIL I 1238, Lumpheis IRN 5728 a. u. c. 749, postea Lymphis CIL III 6373, V 3106, IRN 3520 et 3524, Lymfis CIL V 5648; IRN 7146 *lymfa* pro aqua est, in ceteris illis titulis Dea est vel Deae, quae Lymphae ab aqua vocantur. ut hoc addam, in omnibus codicibus — v. e. gr. codd. Vergili Ae. I 701. IV 635. IV 683. VII 377. X 834 — aspirata forma (lympha) invenitur, cuius vices, cum *ph* per *f* scribi coepta est, *lymfa* et *limfa* obtinuit; v. e. gr. cod. Salmas. s. VII in Symposii aenigmatis anth. lat. ed. Ries. 286 vv. 143. 201. 206. 228. 242. luce clarius est, e *lumpa* evasisse *lumpham* tum *lympham*. bene accidit, ut in hoc vocabulo certam causam, cur Romani huic voculae aspirationem addiderint, dignoscere possimus. cum Graecorum *Νύμφας* eodem atque ipsorum Lumpas munere ut aquis praesiderent fungi (v. titulos hosce: CIL I 1238:

L. Rantius. L. f. Tro. Lumphieis.
Λεύκιος Ῥάντιος Λευκίου υἱὸς Νύμφαις.

et V 3106: Nymphis Lymphisque Augustis ob reditum aquarum P. Pomponius Cornelianus)

cum *νυμφολήπτους* et lumpaticos eosdem homines dici vide-

rent Romani, evenit ut duas voces unam eandemque esse censerent et ad exemplar numpharum et nympharum lumphas et lymphas novarent. itaque in *lumpa lympha* certum etymologiae quae dicitur volgi exemplum nobis servatum esse non negabis. animadvertas quaeso duobus illis titulis demonstrari iam liberae rei publicae temporibus lumpharum formam in usu fuisse. si Varro primus lumpam a *νύμφη* derivasset et propter ipsam hanc derivationem lumpha lympha in usum venisset, iure meritoque miraremur iam in titulis illis exstare noviciam hanc formam. me quidem iudice aspirata forma (lumpha lympha vel Lumphae Lymphae) non grammaticis originem debet, sed recte nisi fallor difficultates quas propter duplicem unius voculae a Varrone factam derivationem moverunt editores eius, solvemus, si statuemus, Varronem cum duas eiusdem voculae formas in sermone inveniret, aliam alii derivationem adaptasse. Festus vero Priscianusque aut Varronis etymologiam lymphae a *νύμφα* secuti sunt, aut, cum suis temporibus tantum lympham pronuntiari audirent, ipsi eandem quam Varro derivationem fecerunt.

Opicus, *ophicus*. E Lydi de mens. I 13 p. 6. Bekk.: *Κατάγεται* (sc. *Αἰνείας*) *ἐν πόλει τῆς Ἰταλίας λεγομένῃ Λαυρεντίᾳ, ἣν καὶ Ὀπικήν φασιν ὀνομασθῆναί τινα, ἐξ ἧς καὶ ὀπικίζειν καὶ — ὡς τὸ πλῆθος — ὀφφικίζειν τὸ βαρβαρίζειν Ἰταλοὶ λέγουσιν*, certum fit *ὀφφικίζειν* aspiratam formam posterioribus temporibus volgarem fuisse. constat *opicos* primo fuisse gentis illius quae postea Osci vocabatur, nomen (v. Festi p. 189), unde apud scriptores graecos *Ὀπικοί* plerumque hi dicuntur, postea vero translatum esse nomen ad homines illitteratos et barbaros. ex hoc adiectivo verbum[1] illud graecae terminationis ope (v. *βαρβαρίζειν λακωνίζειν*) compositum est. conferas velim Philoxeni glossam: 'apicus: *ὀπικιστὴς ὡς Ἰουβενάλιος*' (lege: *opicus*; errore inter

[1] Verbum *opicizin* (*ὀπικίζειν*) praeter Lydi testimonium exhibent scholia Pithoeana ad Iuv. sat. III 207: 'et divina opifici] opi-

vocabula ab *a* incipientia relata est glossa). *ὀπικιστής* praeter glossam hanc nusquam invenitur; mea quidem sententia ad exemplar *λακωνιστής* sim. formatum est. sed quod gravissimum est aspirationem verbi *ὀφικίζειν* — duplicem *φ* non curo — in sermone latino ortam esse ipsa declarant Lydi verba; et ex *ὀφικίζειν* etiam de *ophico* coniecturam faciamus necesse est. hanc formam testatur nisi fallor Servius ad Ae. VII 730: 'Oscorumque manus] Capuenses dicit, qui ante *Ophici* (gu. 1: *officii*; Lion: *osci*; sed *ophici* legendum esse docet quae sequitur etymologia) appellati sunt, quod illic plurimi abundavere serpentes. nam Graece *ὄφις* dicitur serpens'. quocum compares velim Stephanum Byzantium p. 494[6]: *Ὀπικοὶ ἔθνος Ἰταλίας Εὔδοξος ἕκτῳ γῆς περιόδου. γλῶσσαν συνέμιξαν. οἱ δὲ ὅτι Ὀφικοὶ ἀπὸ τῶν ὄφεων* et Hesychium: *Ὀφικοὶ οἱ νῦν Ὀπικοί.* si grammaticos vel grammaticum qui est communis Servii Stephani Hesychii fons, non potuisse derivare Opicos ab *ὄφεσι* nisi Ophicos pronuntiari audissent vel ipsi pronuntiassent, veri sit simillimum, ad gentile Opicorum vocabulum, quod iam Augusteis temporibus plane aboleverat ab adiectivo illo a quo Lydi illud *ὀφικίζειν* descendit, aspiratio translata est. sed quae fuerit causa, cur volgus huic voculae aspiraverit — nam *ophicus* teste Lydo volgaris est forma — nescio[1].

---

zin Graeci dicunt de his qui imperite loquuntur' Leidensia ad l. l.: 'opici] opizin dicunt greci diminuere, hinc et opicos vocamus eos qui verba inter dentes ita frendentes diminuunt ut non possint intellegi'; utroque loco legendum esse *opicizin* docent glossae Parisinae ad Iuv. l. l.: 'opicizin dicitur minuere litteram loquendo'. nescio an in altero scholio Leidensi ad l. l. cuius cod. B et Ugutio teste Du Cangio IV 716 *opizare* exhibent (contra cod. C. *opizizare*) recte restituatur *opicare*; hoc si verum est, *opicare* est latinum ab *opico* formatum verbum; sin vero minus tibi placebit, *opicizare* legatur necesse erit; inter *opicizin* et *opicizare* eadem quae inter *barbarizin* et *barbarizare* intercedit ratio.

[1] Ut e Lydi *ὀφικίζειν* certum aspirationis Latino vocabulo ad-

Palphebrae, *palfebrae* aspiratione addita inveniuntur his locis: *palphebris* in cod. Sessoriano s. VIII—IX Augustiniani Speculi ed. Mai in Nov. Biblioth. Patr. vol. I c. XXI p. 27 = c. XXXIV p. 46, c. XXVIII p. 40, c. LIII p. 66 (contra *palpebris* c. LIII p. 67, hoc loco *palphebris* legi falso dicit Schuchardtus de Voc. Lat. volg. III p. 4); *palphebrae* ibid. c. XXXIX p. 50. '*papetrae* (h) genae, *palphebeae* pili' codex Bernensis 338 s. IX—X Capri GL VII 110, 18; contra *palpetrae* sive *palpebrae* ceteri eius libri. *palfebris* cod. Laur. Orosii s. VII 241[8], teste Schuchardto l. l. *palfebris* cod. Darmstadt. s. VII Fortunatiani (art. rhetor. III 133[8] Halm.). cum aspirata palpebrarum forma saepius inveniatur, eam re vera in usu fuisse negari nequit. Caprum et Fortunatianum ab ea abstinuisse eamque eorum librariis deberi certum est; qua si ipsi Augustinus et Orosius usi sunt, iam exeunte IV saeculo in usu eam fuisse putandum erit; nam quod et in Augustino et in Orosio invenitur, id vix casu factum est. cur palpebris aspiratum sit nescio nisi forte putandum erit *palpefras* quae *palpebrarum* genuina est forma in plebeio sermone longius in usu fuisse (velut *Mulcifer* pro *Mulciber* et *sifilus* pro *sibilus* saepe invenitur) eiusque spirantem effecisse ut praecedenti tenui aspiratio adderetur. quod si verum

---

ditae exemplum prodiit, ita cave ne *Σολφίκιον* (CIG II 2416[18], cui aliud exemplum ex Ephemeride Archaeologica addidit Benselerus in Onomastico) pro *Sulpicio* adspirato habeas. *Σολφίκιος* aut, si re vera pro Sulpicio est, adspirationem in sermone graeco accepit, nam in titulis latinis antiquioribusque codicibus non nisi *Sulpicius* scribitur, aut descendisse potest a radice unde *Sulfius* (IRN 5975, hoc idem est nomen ac *Λεύκιε Σόλφιε* CIG add. 2322 9, 2; Benselerus *Σόλφιε* pessime habet pro *Sylvio*), ita ut *Sulficius* quamquam quod sciam nomen in latinis non exstat, a *Sulpicio*, quod sine dubio ad Sulpium recedit, differat eodem modo quo *Ofellius* ab *Opellio* osc. *Upils* ab *Ufiis*.

est, mediae inter *palpefras* et *palphebras* intercedunt *palphefrae.*

Siparum, sipharum, sifarum. Siparum est genus veli unum pedem habens v. Isidori orig. XIX 3, 4, apud quem *siparum*, non *supparum* legendum esse eius originatio 'quod ex *separatione* existimant nominatum' ostendit. *sipari* formam testantur optimi libri Senecae epist. 77, 1. 2, Medeae v. 328, Herc. Oet. v. 698, Statii silv. III 2, 27. Lucani Phars. V 429: 'summaque pandens suppara velorum perituras colligit auras' nulla scripturae discrepantia adnotata Cortius et Weberus legunt; sed e commentis Bernens. ed. Vs. p. 171[8] *sipara* praebentibus colligere licet Lucani codices qui commentatori illi ad manus erant, *sipara* exhibuisse. pro *siparo* invenimus in codice rescripto Frontonis p. 97 Nab. *sipharis*, ap. Tertull. adv. nat. I 12 *siphara* et apol. c. 16 *sifara* (sic optimi libri), neque casu factum esse videtur, ut scholiorum Iuven. ad sat. VIII 186 lectio *siphario* consentiat cum comm. Bern. p. 171[6]: 'sipara vela sunt minora, unde et pantomimorum vela sic dicuntur: *siphario* (sic CD[b]) clamosum ageres ut Phasma Catulli' (est versus 186 sat. VIII Iuvenalianae). Commenta Bernensia et scholia Iuvenaliana hunc versum sumpserunt ex exemplari, quod *siphario* dabat, ipsum Iuvenalem *sipario* scripsisse (v. optimos eius codd.) negari nequit; commentorum scholiorumque *siphario* sine ullo dubio recedit ad librarium, qui pro *sipario siphario*, quod sibi magis familiare esset, scripsit; confer etiam codicem Fuxensem Apulei Metamorph. X 29 p. 961 Hildebr. *sipharis* exhibentem. cum siparium (id est genus veli mimicum Festi Paulli p. 341) a siparo deminutiva quam dicunt terminatione derivatum sit, haec sipharii exempla optime accedunt ad superiora illa *siphari.* Nabero, cum in Frontonis illo *sipharis p* aspiratam videret, hoc vocabulum a Graecis sumptum esse videbatur et exstat sane apud Arrianum *διατριβ. Ἐπικτ.* III 2, 18: *ἐπαίρειν τοὺς σιφάρους* quod praeterea apud Graecos quod equidem sciam non invenitur nisi

in titulo Ephesio apud Wood discoveries at Ephesus app. V. No. 3 p. 46[8], quem Vsenerus mecum communicavit, quique inter res ad theatrum pertinentes, quas vir Romanus Ephesiis dono dat, τοὺς σειφάρους exhibet[1]. sed Naberi sententia falsissima est. primum quidem si σείφαροι et *siphara* graecum esset vocabulum, mirum esset quod Iulius Pollux I c. 91 ubi velorum genera percenset, σειφάρους non habet. tum *sipara* quomodo a *suparis*[2] divelli possint nescio. et res

---

[1] Ap. Hesychium s. v. ἐπίδρομον σίφαρον e coniectura restitutum est.

[2] *suparum*, non *supparum* legitima est forma:

1. *supparus* vel *supparum* legitur ap. Festum p. 310 M. Festum Paulli p. 311 M. Nonium p. 540. Arnobium II 19 p. 63[6]. Reiff. et Lucanum Phars. II 364, cuius accurate ad codices expressam editionem hodieque desideramus. Commenta Bernens. ad l. l. a Festi aliorumque grammaticorum interpretationibus pendent, unde *suppari* scriptura in ea inrepere potuit. Prisciani libri GL II 169, 17 inter *supparum* et *suparum* fluctuant.

2. his testimoniis opponuntur haece: cod. Salm. anth. lat. ed. Ries. 198[23]: 'arma tegant nostrum potius quam *sipara* corpus', et glossae aliquot *suparum* exhibentes v. Mai class. auct. VI 547: 'supara: tunicae, subunculae (l. subuculae)' et Dieffenbachii glossar. lat.-germ. imprimis autem Varro (de l. l. V 131) me quidem iudice *suparum* testificatur hoc vocabulum a supra derivans quamquam libri eius *supparum* exhibent; si hoc scripsisset non potuisset dicere: 'alterum quod supra, a quo supparus', sed sup-arum et sup-ra coniunxit; ipse autem huic suae etymologiae parum fidei tribuit addens: 'nisi id quod item dicunt osce'.

3. si cum Plauti versu 232 Epidici:

'súbparum (sic B; supparum A) aut subnímium (subnimiumst Non. p. 540, subnimniam A), ricam, básilicum aut exóticum'

(sic versus scribendus esse videtur; sine ullo dubio sŭpărum ioci causa sic quasi esset sub-părum, scripsit Plautus, cui respondet subnimium, quod ipse finxit) comparaveris Nonii p. 540: 'supparum quod *sub*tus *appar*eat' etymologiam, ad quam ipsam vel similem quandam recedit *sub*pari scriptura quam praeter cod. B Plauti deprehendimus in Comm. Bernens. cod. C. p. 72[22] et cod. Bamberg.

monet (sipara sunt in universum vela lintea, supari vel supara vestimenta lintea) et tota vocularum historia, unam hanc esse vocem. quod Festus p. 310^{19} *suparos* (supparos libri, falso, v. adnotat. nostr.) dixit, id Tertullianus *siphara* dicit, quod Afranius v. 123 Ribb. Novius v. 70 alii *suparum*, id poeta in Anthol. lat. 198^{23} *siparum*. haec exempla sufficiant. demonstrant vero has formas non nisi vocali pro temporum ratione mutata inter se differre, et cum suparum paullatim abolesceret, siparum magis magisque in usum venisse. at si quis cum Nabero siparum graecum esse vocabulum statuet, is aut siparum a suparo separare debebit aut suparum quoque cum *σειφάροις* (vel *σῑφάροις*) componere, quod propter vocales nullo modo fieri potest. contra sic recte statuemus, suparum esse vocem italicam (Osci quoque eam habuerunt teste Varrone de l. l. V 131), inter sūparum et sīparum quod utrumque ad soiparum recedit, eandem intercedere rationem, quam inter plūrima et plīsima, inter sūbulonem et sībilum (nam sūbulonem etruscam esse vocem vix quisquam crediderit Varroni et Festo). quae si vera sunt, Arrianus et titulus Ephesius *σιφάρους* et *σειφάρους* (*ι* longa per *ε̄ῑ* scripta; de terminatione *σειφαροι* = *sipara* cf. ipsorum Romanorum *suparus* et *suparum*) a Romanis sumpserunt. optime haec graeca exempla coeunt cum latinis illis, quae aspirationem prae se ferunt neque casu factum esse videtur, ut Fronto in Epistulis et Arrianus quibus adde titulum Ephesium qui inter Hadrianum et Caracallam scriptus est, hanc aspiratam sipari formam exhibeant, quam medio secundo p. Chr. saeculo in usu fuisse ex his testimoniis certissime colligemus.

Sulpur, *sulphur*, *sulfur*. Iam Wagnerus (orthograph.

Nonii teste Ribbeckio ad Novii v. 70, facile perspicies, quantum falsae etymologiae ad supparum per *pp* scribendum valuerint. equidem non dubito, quin sūpărum recta et antiqua forma sit, e qua *supparum* etymologiae causa quae suparum pro composito habuit et acutiore quadam pronuntiatione ut rūppe pro rūpe Ribb. proleg. p. 441 depravatum est.

Vergilian. p. 474 cf. Ribbeckium quoque Prolegom. p. 424) animadvertit, codices antiquissimos Vergili *sulpur* exhibere, quam formam servarunt codices Salmas. s. VII anthol. lat. (I 17 v. 332, est versus Vergili ge. III 449) et Bobiensis s. VII—VIII Probi (GL IV 15[30], est versus Aeneidis VII 517). adde Lucreti codd. VI 221. 747. 806, Quintiliani (I 6. 22) codd. AB, Iuvenalis (II 158. V 48) cod. Pithoe. *sulpuris* formam exhibentes, iam nemo dubitabit, quin ea ab optimae aetatis scriptoribus usurpata sit. quibus Plinius quoque iure adnumeratur, quamquam in Silligii editione non nisi ter (XXXV 174. 177. XXXVI 138) scripturae discrepantiam adnotatam invenio; sed omnibus his locis codex Bambergensis *sulpur* exhibet. saepissime sulpur apud grammaticos latinos legitur, sed duo tantum exstant loci, e quibus de voculae pronuntiatione scripturaque certam coniecturam facere nobis liceat. Priscianus GL II 154[24] docet: '. . . . . in *ur* si sint propria vel deorum vel gentilia vel appellativa avium vel *f* ante *ur* habentia masculina sunt: Anxur, Astur, turtur, vultur, furfur. alia vero omnia eiusdem terminationis nomina neutra sunt: sulpur e. q. s.' ex hoc loco quamvis omnes Prisciani libri m. s. *sulphur* exhibeant, eum *sulpur* pronuntiasse certo colligitur. nam *sulfur* non scripsit; et *sulphur* certissime nominibus Graecis adnumerasset, cum latinam vocem *ph* mediam habentem ne nosset quidem. vide ad Lympham et triumphum adnotata, quae graeca vocabula esse videbantur grammaticis. alter locus est Isidori or. XVI 1, 9: 'sulpur (sulphur codd. et edd.) vocatur quia igne accenditur, πῦρ enim ignis est'. si in sulpure πῦρ latere videbatur, sine ullo dubio Isidorus vel is quem secutus est *sulpur* non *sulphur* vel *sulfur* pronuntiavit scripsitque.

His testimoniis nisi sulpur veram pristinamque formam esse iure meritoque statuemus, quam cognatae quoque linguae testantur: got. *swibls*, anglos. *suefl*, nostr. *Schwefel*, de consonis lat. *sulpur* et got. *swibls* confer lat. *septem* goth. *sibun*. Ex hac forma aspiratione addita *sulphur* evasit et

sulfur. prima *sulphuris* exempla invenio in codicibus Novi Testamenti Fuldensi s. VI et Amiatino s. VI. sed ne longus sim hos tantum locos exscribam:

sulphur Apoc. IX 17. (sulphor Ful.);

sulphure ibid. IX 18 (sulphore Am.); XIV 14; XXI 8 (sulphore Am.); XIV 10 (sulphore Am.); sulphuris ibid. XX 10 (sulphoris Am.).

Iam adnotavi ipsos Priscianum Isidorumque *sulpur* scripsisse. nonne veri est simillimum, etiam ceteros grammaticos hanc orthographiam secutos esse? Sed praeter supra laudatum Probi codicem Bobiensem et Prisciani DK codices (GL II 223, ubi servatus est Vergili Ae. VII 517: sulpurea Nar albus aqua) ad unum omnes grammaticorum libri *sulphur* (sulfur) scribunt. patet Prisciani codicum p. 155[11] omnium et p. 223[2] praeter DK ceterorum *sulphuris* scripturam (de vocalibus solphuris vel sulphoris nunc non quaero) a librariis profectam esse, qui suam sibi familiarem formam (i. e. sulphur) in textu reposuerint. plane idem eos fecisse in ceterorum grammaticorum libris mihi persuasum est; veluti in Charisio GL I 32[13], in Victorini de metris et hexametris GL 212[21]. quae cum ita sint, *sulphur* inde a quarto aut quinto p. Chr. saeculo — nam in sexti saeculi libris iam regnat — cottidiani usus formam fuisse elucet.

Constat saepe fluctuare codices inter *sulphuris* et *sulphoris* formas. Augustinus in regulis GL V. 499[24] sulp*u*r, sulp*o*ris, Quintilianus I 6. 22 sulp*ur*, *u*ris, declinandum esse praecipiunt. nominativum quoque in *-or* exiisse docent cod. Fuld. Apocal. IX 17, cod. Bernens. s. X. anecd. Helvetic. p. 102[5], gloss. Philoxeni '*sulpor* . . . .' hinc profecti *sulpor, oris* antiquiorem formam a volgari sermone diutius servatam esse quam ab urbano, qui ut multa alia — cf. robor: robur — sic etiam recentius sulpur recepit, recte statuemus. si vero *sulpor* re vera pronuntiarunt Romani, nonne veri est simillimum ex hac forma prodiisse *sulphor* analogia quadam Graecorum nominum ut *Nicepor Eupor* aliorum,

quae aspiratione qua opus erat, addita imperatorum temporibus plerumque *Nicephor* v. CIL VI 200 a. 70. (VII 87. I 27. VI 12.) ib. 158; *Euphor* ib. 200. (VI 4); *Telesphor* ib. 975. a. 136 (II 34) ib. 200 (VI 12); *Symphor* ib. 154 a. 123, 200 (II 53) non *Nicephorus* e. q. s. in sermone Romano circumferebantur. et si e *sulpor* etymologia quam dicunt volgari quasi lateret in extrema eius parte forma illa graeca - φορος, *sulphor* prodire iusserunt Romani, eos aspirationem a *sulphore* ad *sulpur* quoque transtulisse patet. iam supra adnotavi in hac vocabulorum graecorum in - φορος exeuntium similitudine sitam esse causam, cur Romani e Βοσπόρῳ effecerint *Bosphorum.*

Ne mireris extremam vocabulorum graecorum partem, quae forte similiter atque ipsius latinae voculae extrema pars sonabat, fecisse, ut latino vocabulo aspiraretur, apponam *Tamphili* nomen, quod e *Tampilo* prodiit aspiratione addita, cum Romani *Pampilum* pronuntiare desiissent et *Pamphilum* dicere coepissent.

Tampilus invenitur: 'M. Baebius Q. f. Tampilus' in denario a. u. c. cr. 550 apud Mommsenum RMW p. 507 et in titulo Augusti temporibus scripto CIL VI 1360: 'Cn. Baebio. Cn. (f.) Tampilo Válae Numoniano . . . .' *Tampili* cognomen recte derivatur a *Tampio,* nomine italico (CIL IV 2560. III 2547. IRN 7110 eiusque indices, Ephem. epigraph. I 113. 114. 115 et 112 (Tapio)) ut *Pacili* cognomen (v. CIL I indicem) a *Pacio* (Paquio, Paccio). Tampilus ergo nomen italicum est; saepius quam *Tampilum Tamphilum* et in titulis et apud scriptores invenimus. dignum est quod animadvertatur, ipsos Baebios (cf. titulum super.) Tampilos sese appellasse etiam tum, cum vulgo iam aspiratio addi solebat; nam fasti Capitolini intra a. u. c. 718—724 conscripti et ad a. u. c. 572: 'Cn. Baebius. Q. f. Cn. n. Tamphilus' 573: 'M. Baebius. Q. f. Cn. n. Tamphilus' exhibentes non singularem nominis formam prae se ferunt, sed eam, quam tunc in usu fuisse docent scriptores Livius XXI 6, 8; XXXIX 56, 4; XXXX 18; XXXI 49, 12; Cornelius Nepos v. Hann. XIII 1.

Pomp. Attici XIII 2, quibus adde Commenta Bernensia Lucan. ed. Vs. p. 56. *Tamphili* corruptio in *Pamphilum* hic illic invenitur in libris v. Ciceronis or. Philipp. V 27; Plinii n. h. XIII 84, et Valerii Maximi I 1, 12. II 5, 1. sed ex his corruptelis docemur, ut iam supra monui, quantum potuerit terminationum similitudo ad *Tamphilum* et *Pamphilum* inter se commutanda; si memineris usque ad a. u. c. 650 *Pampilum* dixisse Romanos, eos cum *Pamphilum* pronuntiare coepissent e *Tampilo* quoque *Tamphilum* effecisse non negabis.

Triumpus, *triumphus*, *triumfus* et quae inde derivantur. veterem quam testantur Cicero or. § 160, Quintilianus inst. or. I 5, 20 ***triumpi*** formam in carmine[1] fratrum Arvalium CIL I 28 servatam esse nemo nescit. ***triumphus*** vero inde ab extremo VII^mo^ u. c. saeculo et in titulis[2] et apud scriptores grammaticosque, quorum triumphum vel triumphare per ***ph*** scribendi morem testantur hi: Priscianus GL II 446^{11}, Donatus IV 385^{2} et qui Donatum excerpserunt Cledonius V 61^{26}, Pompeius V 239^{15}, anonymus grammaticus in Anecdotis Helveticis p. 257^{29}, legitima qua utebantur Romani forma erat, dum, cum φ per *f* scribere coepissent, ***triumfi*** quoque scriptura in usum veniret. v. e. gr. CIL VI 1675 ante a. 333, 1166^{a} a. 350, 1158 a. 352, 1161 et 1162 a. $35^{6}/_{9}$.

Corssenus II^{2} 168. 169 et Jordanus in topographia urbis Romae I 1, 274 et in *Kritische Beiträge zur Geschichte der lat. Sprache* p. 210 ***triumpum*** graecae originis esse a Graecisque Romam pervenisse demonstrasse sibi videntur. sed equidem his viris non adstipulor. nam primum quidem *b* mediae (*θρίαμβος*) in *p* tenuem (triumpus) in tralaticiis vocabulis exasperatae certum exemplum nullum exstat. cave ne

[1] Etiam posterioribus temporibus *triumpatoris* formam interdum inveniri docet Mommsenus Herm. XIV p. 68.

[2] Prima *triumphi* exempla inveniuntur CIL I 607 a. 689 et in lege Iulia a. 709 ibid. 206^{63}. de titulo Mummiano *triumphans* exhibente vide Ritschelium commentat. p. V.

cum Corsseno *Canopum* et *Canobum* compares; *Κάνωπος* quoque apud ipsos Graecos invenitur v. Benseleri Onomasticon s. h. v. tum id quod gravissimum est, antiquissimum est triumpi vocabulum apud Romanos. Iordani sententia (topogr. U. R. I 1, 274) triumpum a Tarquiniis Romam deportatum esse me quidem iudice stare nequit. ex eis quae ad pompam ornandam, imprimis quae ad habitum victoris pertinent, multa ex Etruria Tarquinios Romam deportasse quamquam negari non potest (vide Goellium de triumphi romani origine permissu apparatu via), tamen ipsum vocabulum et quae eo significatur res neque Graecum est neque per Tarquinios Romam pervenit. iam Romulum Ancumque triumphum egisse narrant Dionysius II 34 et 41 et acta triumphalia. sed magis quam hi testes antiquam vereque latinam pompae triumphalis originem testantur qui dicuntur in Albano monte triumphi, qualem C. Papirium Masonem primum egisse constat (cf. Plinii n. h. XV 126, Valerii Maximi III 5, 5. act. triumphal. a. u. c. 523). qui cur montem Albanum ubi triumpharet, cum in Capitolium escendere triumphans vetaretur, elegerit idonea causa inveniri non potest nisi ea, quod ibi iam ante Romam conditam Latinos triumphasse ibique Dis grates ob victoriam egisse novisset. ad hunc antiquum vereque latinum morem spectant Servi quoque verba (ad Ae. XII 35) 'tunc neque nomen erat] hoc ideo ait, quia in Albano res divina a iure triumphantibus fieri solebat'. accedit quod quinquies *Triumpe* invenitur in carmine fratrum Arvalium; in quo sic scribe ita ut Triumpus ipse deus quem fratres tripudiantes invocant intellegatur. hunc nisi fallor antiquissimum usum quo Triumpus dei instar est, testantur Varro de l. l. VI 68: 'sic triumphare appellatum quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti: *io Triumphe*[1], id a *Θριάμβῳ*, Graeco Liberi

[1] In verbis Varronis et *io Triumphe* et *Θριάμβῳ* maioribus litteris in nostro textu scribendum est. *Θρίαμβος* Dionysi est nomen

cognomento, potest dictum' et Horatius: 'io Triumphe tu moraris aureos currus et intactas boves, io Triumphe e. q. s.' vides inde ab antiquissimis temporibus triumpum in usu fuisse. hisce de causis primum quod ipsis sonis triumpum cum θριάμβῳ coniungere vetamur, tum quod et nomen et quae eo notatur res antiquitus Latinis in usu fuit, de alienigena triumpi origine ne cogitari quidem potest. *triumpus*, *triumphus* est vocabulum vere latinum. inter quod et θρίαμβον quae ratio intercedat, indagare nunc non possumus. ipse probabilem triumpi etymologiam non inveni, tamen apparet *triumpum* et *tri-podationem* ab eadem incipere vocula, ut iam recte Suetonius (ap. Isidorum or. XVIII 2, 3) dicit *triumpum* (nam sic scripsit, siquidem Suetonius, ut ceteri omnes, *ph* in vocabulis latinis locum tenere negavit) latine potius appellatum esse dicit, quod is qui triumpans urbem ingrederetur *tripartito* iudicio honoraretur. Ceteri vero Grammatici triumphum et θρίαμβον artissime inter se cohaerere arbitrati sunt, postquam primus Varro l. l. ad Romanum triumphum graecum vocabulum accommodavit. ipsam aspirationem grammaticis ut haec statuerent causam fuisse disces e Prisciano GL II 20[19] et 446[11] et Pompeio GL V 239[11]. *triumpo* cur aspiratum sit nescio.

Haec certa *p* in vocabulis latinis aspiratae exempla inveni. Quod aliunde scimus, id his quoque exemplis omnibus denuo docemur, consonarum quae dicitur aspirationem antiquitus alienam fuisse a sermone latino. nam omnium de quibus egi vocularum formae non aspiratae certa exstant exempla, quam primam ac vere latinam fuisse aut per se intellegitur v. *opicum palpebras siparum* aut certa ratiocinatione demon-

---

cf. Athen. I 30 B. Diod. IV c. 5. cum imperator dei, cui pompa triumphali instituenda grates ob rem publicam bene gestam agerentur, locnm sustineret, id quod Iovis ipsius Capitolini habitus quo imperator induebatur demonstrat, elucet milites, cum *io Triumphe* clamarent, ipsum deum intellexisse.

strari potest v. *lumpam sulpur Tampilum triumpum*. contra aspiratio, quod certis circumscribere finibus nobis licet, tempore omnibus illis voculis addita est. *Lumpha Tamphilus triumphus* initio octavi u. c. saeculi iam in usu fuerunt, sed isdem fere temporibus antiquiores ac non aspiratae formae nondum oblivione obrutae erant. de lumpa lumpha v. Varronis de l. l. V 71. VII 87 et nostr. pag. 18, de Tampilo Tamphilo nostr. pag. 27 de triumpo triumpho Cic. or. § 160.

Quae restant, *ophicus palphebrae sipharum sulphur* Caesarum demum aetate aspirationem accepisse ex eis quae adnotavi patet. quae cum ita sint pro certo affirmare licet, nulli horum vocabulorum aspiratum esse ante medium septimum u. c. saeculum, quo tempore graecis vocabulis aspirare coeperant Romani.

Ex eis quae exposui in paginis superioribus haud spernendus redundat fructus ad cognoscendas quas grammatici secuti sint rationes. qui cum, quam Varro posuit legem, ne ulla dictio (latina scilicet) adversus latini sermonis naturam media aspiretur (cf. Terentium Scaurum GL VII 20^7 collatis Charisii pagg. 73^{17}. 82^7) sequerentur, non mirum est, quod duo illa vocabula, quorum aspirationem ne urbanus quidem sermo sprevit — lympham et triumphum dico; de Tamphilo grammatici tacent — propter ipsam aspirationem graeca esse eis videbantur. eandem ob causam Santra quoque — vide GL VII 20^7 — *pulchrum* a Graecis putavit esse translatum quasi *polichrum* et alii grammatico ap. Charisium GL I 102^1 cum *chilones*, non *cilones* pronuntiari audiret, prius illud a χείλεσι derivatum esse visum est. cum vero cetera in vocabulis latinis aspiratae exempla optimae aetatis scriptores non usurpassent, non mirum est quod grammatici quoque ea neglexerunt. et si quando formam plebeiam ut *ophicum* memorant, sibi constant in derivanda illa a graeco etymo; sic Servius *Ophicos* ab ὄφεσι dictos esse putat.

Certam cur aspiraverint Romani illis vocibus causam

in *lympha Tamphilo sulphore* (*sulphure*) invenisse mihi videor. et hic memineris quaeso eorum vocabulorum, quibus librarii aspiraverunt, cum aeque sonantia graeca eorum obversarentur animis ut *phila halophantam* (confer etiam quae de *Bosphori gryphorum* aspiratione adnotavi). his latinis vocabulis ad exemplar graecorum certe aspiratum est; ad cetera quoque transformanda graeca exemplaria aliquid saltem valuisse persuasum habeo, quamquam *palphebrarum* aspirationem aliter explicari posse indicavi. ut *triumphus* aspiraretur si *triumph-* cum *lumph-* et *Olumph-* comparaveris nasalem effecisse fortasse coicias, tamen animadvertas quaeso in *ophico* et *sipharo* neque vocalem neque consonam aspirationi favere potuisse neque certum huius rei vestigium cerni in *Popphaedi phiissimo phosit*, quibus crebrescente in dies aspirationis usu ab hominibus parum peritis aspiratum esse persuasum habeo.

II. De *FORCIPE FORPICE FORFICE.*

Supplementi instar quid de *forpicis* et *forficis* formis sentiam, exponam. a quibus cum *forceps* dirimi nequeat, haec tria vocabula coniunctim tractabo.

Notum est tria vocabula *forcipem forpicem forficem* inveniri in lexicis nostris, quae in his rebus posteriorum grammaticorum latinorum differentias secuntur.

Forcipes et *forfices* distingunnt Servius ad Ae. VIII 453 (forcipes sunt quibus aliquid for*m*um (for*v*um Lion) tenemus quasi formicapes; forfices sunt quibus incidimus) Probi appendix GL IV 202[14] Isidori differentiae ed. Ar. V 34 No. 262, *forcipes* autem et *forpices forfices*que Papirianus

ap. Cassiodorum GL VII 160[20] (forcipes secundum etymologiam debemus dicere et scribere: si a filo dicamus, *f* debemus ponere ut forfices quae sunt sartorum, si a pilo, *p*, ut forpices quae sunt tonsorum, si a capiendo, *c*, ut forcipes, eo quod formum capiunt, quae sunt fabrorum) quae repetuntur ab Isidoro orig. XX 13, 3. Albino GL VII 302[10] Paullo Abbate ap. Mai class. auct. VI 598. Papia v. infra. Osberni hariolationes in Mai class. auct. VIII 218 missas facio. ex hisce differentiis evasit Ebrardi Bethuniensis versiculus:

forfice fila, pilum cape forpice, forcipe ferrum,

qui corruptus exstat ap. Osbernum. horum grammaticorum etymologias falsas esse nemo non videt, sed eorum differentiae quoque quasi sint forcipes ad capiendum, forfices vero et forpices ad incidendum apti, ineptae falsaeque sunt. iam Charisius inst. Gramm. p. 94[21] 'quosdam' forcipes forpices forfices distinguentes refutavit verbis hisce: 'forfices et forcipes ⟨et forpices⟩ quidam distinguunt, ut forfices sint sarcinatorum a faciendo, ⟨forcipes fabrum⟩ quod ferrum calidum capiant, forpices tonsorum quod pilum secent; sed inepta haec esse Lucilius docet, qui etiam medicorum forcipes dicit lib. IX: scalprorum forcipiumque milia viginti, item paullo post: uncis forcipibus dentes vellere. sed et Virgilius lib. VIII: versatque tenaci forcipe ferrum'. hic vitium subesse videtur, scribe: *sed et Vergilius libr. XII: prensatque tenaci forcipe ferrum; —* Ae. XII 404 forceps medicorum est quippe cum hoc loco forcipe ferrum vulneribus extrahatur cf. Serv. ad. l. l. et ad Ae. VIII 454; contra Ae. VIII 454 (versantque t. f. massam) forceps fabrum est, quem in verborum Charisii contextum minime quadrare vix opus est dici. sine ullo dubio Charisii librarii aeque sonantes versus alterum cum altero permutarunt. Quam rem incohavit Charisius, ut differentias illas quasi a grammaticis excogitatas neque ipso sermone probatas refutare studeret, eam nondum ad finem perductam esse saepe miratus sum. et sane ipsos scriptorum codices ubi

primum adieris, quorum scripturam Papiriani aliorumque praeceptis fisi sexcentis locis obscurarunt editores, aliter te de illorum grammaticorum differentiis ac lexicographos nostros iudicaturum esse spero.

Primum liberae reipublicae temporibus non dicebatur nisi *forceps* (vel *forcipes*). Forceps eis temporibus est et nostrum *Zange* non solum ad capiendum aliquid sed etiam ad extrahendum velut dentem aptum, et nostrum *Scheere* quo aliquid praeciditur velut pili vel grana vel tale quid. vide Catonis r. r. XI 5 (ubi cum libris Politiani et cod. Vratislav. legendum est: *forcipes* e. q. s.; ibid. X 3 lege *forcipes*, ubi *forpices* inde a Victorio legitur, nescio quo iure), Novii v. 42 Rib. Lucili vv. 502—5 Varronis sat. fr. 441 Buech. Catonis de re milit. ed. Iord. p. 82[1] ubi *forceps* de acie certo modo instructa dicitur. Varronis fr. 246 Buech. Etiam primis Caesarum temporibus forceps usitatissima est forma; vis notioque eadem est v. Verg. ge. IV 175. Ov. met. IX 78. Iuv. sat. X 131. Calpurnii ecl. V 74. Glaes. quem versum cum optimo cod. Dorvill. sic lege: 'ne sit acuta forcipe laesa cutis'. posterioribus temporibus forceps raro invenitur; v. Tertulliani de pallio c. V. Iesaiae c. VI v. 6 (vulg. ed. Tisch.) Ammiani Marc. XVI 11[3] (est hoc loco ut ap. Catonem de acie dictum) Cyrilli p. 600[37] ed. Vulc. πυράγρα: forceps.

Forpex primum invenitur primo p. Chr. saeculo ap. Columellam XII 45: 'vitiosa grana forpicibus amputantur'. sic legendum est cum codd. Lips. et Sangerm.; edd. Ienso. et Bruc. *forphicibus* exhibent et hoc nostro loco et XII 44; cum posteriore loco Schneiderus de codicum scriptura taceat, ibi quoque *forpicibus* recte legi veri est simile. Columellae VI c. 26 e codicum scriptura quae nimium fluctuat nihil certi colligi licet. eodem quo Columella XII 45 (et 44?) significatu *forpices* usurpavit Sidonius epith. XV 185. Contra Suetonius vit. Aug. c. 75 *forpicem* dixit instrumentum quo aliquid capitur et prehenditur.

Inde a tertio p. Chr. saec. *forfex (forfices)* magis magisque in usum venit. significatu nihil differt a forcipe et forpice, est enim et nostrum *Zange* et nostrum *Scheere* v. Arnob. adv. gent. IV 16. Veget. r. m. III 17. 18. 19. IV 23 et tertio p. Chr. s. antiquior non esse videtur titulus Salonis repertus (CIL III 1952) hice: 'Curia prisca matri magnum fanum rifecit signa posuit, larophorum cymbala tympana catillum forfices . . .'. Ad haec testimonia confer imprimis Hermeneumata Montepessulana ed. Bouchery p. 166 (quae ineunte IV p. Chr. s. conscripta esse editoris est sententia):

Καρκίνος forfex
Ψαλίδες forfices
Ὀδοντάγρα forfices dentariae.

gloss. Cyrilli p. 550[56] ed. Vulc.: ὀδοντάγρα forfex dentaria
fragm. Deycksianum p. 18: forfex dentaria . . . . . .
forficula . . . . . .
gloss. Philox. p. 97[30] ed. Vulc.: forfex: ψαλίς ὀδοντάγρα πυράκμων [πυράγρα?].

de Vitruvii (X 2) et Plinii (XI 97 et XXV 58) locis *forfices* exhibentibus infra disputabo.

Exstant complures Cornelii Celsi loci *forficem* exhibentes in editione Targae, sed Daremberg eisdem quibus Targa *forficem*, locis *forcipem* in textu habet. quorum cum neuter accurate codicum scripturas enotare soleat, Celsi locos in hac nostra quaestione praetermittemus. fortasse iam in medio II p. Chr. s. *forfices* in usu erant, cum Gellius (X 9, 1) eos inter vocabula militaria quibus instructa certo quodam modo acies designari solet referret, sed cave ne nimiam huic loco tribuas fidem, cum nec de accurata codicum Gellianorum scriptura edocti simus et cetera quae attuli exempla certo nisi fallor demonstrent IV demum p. Chr. s. *forfices* in usu volgari fuisse. Quare veri fit simile III p. Chr. s. forfices in usum venisse. cum hac nostra observatione optime coeunt grammaticorum latinorum praecepta, quorum antiquiores

Festus p. 91. 84[3] Velius Longus GL VII 71[15] Marius Victorinus ib. VI 26[11] (qui Festi etymologiam repetit; in eo quod ipse de forcipe addit plura corrupta sunt) *forficem* non noverunt; apud eos non nisi *forcipes* exstant. qui *forfices* norunt eosque inter et *forcipes* (Servius alii) vel *forcipes forpices*que (Papirianus alii) discrimen esse posuerunt, eos III p. Chr. s. recentiores esse patet. aut fallor aut Charisius 'quosdam' illos refutavit, qui paullo ante differentias illas excogitassent.

Luce clarius his quae attuli ipsorum scriptorum locis evincitur primum tria illa vocabula *forceps forpex forfex* (vel plurali numero) de uno eodemque instrumento promiscue dicta esse, quod binis constabat bracchiis, quibus vel prehendi aliquid (cf. nostr. *Zange*) vel si acie instructa sunt praecidi potest (cf. nostr. *Scheere*), tum *forcipem* esse vocabulum antiquum, *forficem* vero multo recentius, intercedere medium inter haec *forpicem.*

Sed veram quae inter tria illa vocabula intercedit rationem cognoscemus si locos quibus codices fluctuant consideraverimus. In Martialis ep. VII 95 v. 12: 'qualem forficibus metit supinis tonsor Cinyphio Cilix marito', ex optimis codicibus Palatino et Thuaneo *forcipibus* restituendum est. vulgata lectio *forficibus* nititur codicibus palatino ex testimonio Gruteri et florentino Beverlandi quorum scriptura prae PT testimonio nihili est. codicum vero quorundam recentiorum *forpicibus* scripturam e grammaticorum praeceptis (for*p*ices si a *p*ilo dicuntur, quae sunt tonsorum) profectam esse quis est quin videat? Martialis *forcipibus* scripsit. Plinius quoque quin n. h. IX 97: 'cancris[1] . . . . bina

[1] Ex Isidori glossa: *cancer: forceps* et alia quadam, *cancer: ulcus* (nam cancrum de ulcere dici constat) conglutinatam esse hanc: *cancer: forceps aut ulcus* (class. auct. VI 513) apparet, e qua inversis membris haec insanissima profecta est glossa: *forceps: ulcus aut cancer* (class. auct. VI 524). Papias non solum has ineptias recepit iteravitque sed etiam novas addidit.

bracchia denticulatis *forcipibus*' (sic cod. paris. E s. X—XI) et XXXII 148: 'elephanti locustarum generis nigri . . . . bracchia duó biuis articulis singulisque *forcipibus* denticulatis' (sic opt. cod. Bamberg.) *forcipibus*, non ut vulgo *forficibus* scripserit, dubitandum non est. optimos ergo codices secuti Plinio duobus illis locis *forcipibus* restituemus quibus deteriorum codicum librarii *forficibus* pro *forcipibus* posuerunt. nonne veri est simillimum eos etiam n. h. XI 97 qui locus superioribus illis simillimus est: 'in quodam genere scarabaeorum grandi cornua praelonga bisulcis dentata forficibus (sic codd. omnes, etiam Monei) in cacumine, cum libuit ad morsum coeuntibus' pro *forcipibus* Plinii *forficibus* restituisse, praesertim cum in omnibus illa quoque verba *bisulcis dentata* corrupta sint. recte sic restituuntur: *bisulca dentatis forcipibus*. cf. imprimis locos supra allatos. forcipes bisulcos esse nemo nescit; sed hoc loco cornua scarabaeorum bisulca sint necesse est. si quis vero codicem Monei *forficibus* exhibentem mihi obiciat, is animadvertat velim codicem Vergili quoque Romanum *forficem* pro *forcipe* posuisse ut mox videbimus. Duobus locis Plinium certum est scripsisse *forcipibus*, uno summo opere probabile; qui restat, eo quoque *forcipium*, non *forficium* forma eum usum esse nonne veri est simile? sunt autem verba eius haece (n. h. XXV 58): 'mirum inventum est, quod incisum (sc. helleborum) forficulis (sic codd.) cribrant'. *forficula* non nisi in glossariis (v. supra) exstat, sed numero semper singulari, de plurali numero equidem dubito. si animadverteris n. h. XXXII 148 quoque codicem Vaticanum 1954 (= b ap. Detlefs.) exhibere *forficulis*, cum B codicem qui sequitur, is *forcipibus* Plinio restituat (v. supra), eandem corruptelam hoc nostro loco subesse non negabis et *incisum forcipibus* restitues.

Sed quomodo de his duobus Plinii locis XI 97 et XXV 58 quibus equidem *forcipibus* restituendum esse censeo, iudicabis, me certa vestigia librariorum *forcipes* in *forfices* mutantium, deprehendisse in Martialis ep. VII 95 v. 12 et

Plinii n. h. IX 97 et XXXII 148 non negabis, spero. sed cur hoc fecerunt? in Martialis versu causa in propatulo est, Plinii vero locis adhuc latet. iam inspicias velim hos locos:

Vergili Ae. VIII 453: 'versantque tenaci forcipe massam' et Ae. XII 404: 'prensatque tenaci forcipe ferrum'; utroque loco omnes Vergili codices praeter R, qui *forfice* exhibet, *forcipe* habent, quam scripturam testantur apud quos VIII 453 exstat: Velius Longus GL VII 71. Nonius p. 531 M. Charisius GL I p. 94 (sed v. supra). Vergilius ergo quin *forcipe* scripserit, prorsus dubitari nequit ut his locis sic ge. IV 175, ad quem schol. Bernens.: *forcipe in Ebrii, forfice in Corneliani* adnotant.

Senecae epist. 90, 13 ed. Buech.: 'utrum malleus in usu esse prius quam forcipes coeperint' *forfices* B sed suprascripta *c* et *p* est. Seneca ipse *forcipes* scripsit.

Persius quoque sat. IV 40: 'elixasque nates labefactent
forcipe adunca'

forcipe scripsit, quod cod. C servavit; quod *α* exhibet *forfice*, librariis debetur.

Cur ut Cornelianus sic etiam codicis Romani Vergiliani scriptor et Senecae Persiique librarii *forficem* in *forcipis* loco posuerunt? animadvertas quaeso omnes hos locos ita comparatos esse, ut secundum grammaticorum forcipi vim significationemque nostri *Zange* attribuentium praecepta non nisi forceps hic poni debeat. homines illi forcipem in forficem non mutasse videntur, quod locis illis forficem magis quam forcipem in totius orationis contextum quadrare arbitrarentur. an doctrinam a totius antiquitatis memoria abhorrentem illi secuti sunt? id prorsus negandum est. sed cum for*cip*em et for*fic*em non distinguerent ut Servius alii, cum forfex, ut ex exemplis supra e glossariis petitis facile

[1] Ov. met. XII 277 cod. M — cod. L huic loco deest cf. Riesii praefat. — *forfice* habet. hinc nihil certi de ipsius poetae scriptura conici licet.

cognosces, post tertium quartumque p. Chr. s. magis magisque crebresceret, forceps vero aboleret, iam consequens erat, ut Cornelianus ceterique pro *forcipe* *forficem* substituerent verbum sibi magis familiare. omnes hi loci Plinii Vergilii Senecae Persii demonstrant, in vivo sermone forcipem forficemque de una eademque re dictos et quibus haec vocabula separarentur discrimina significatus ficticia esse.

Raro codices nostri inter *forpicem forficem*que fluctuant. in metam. VI 556: 'luctantemque loqui conprensam forcipe linguam' (forpice L: forfice M.) ipsum Ovidium *forcipe* scripsisse veri est simillimum; cf. eiusdem met. IX 78 librorum in *forcipe* consensum. Contra Cassium Felicem ed. Ros. p. 29[14]: 'emplastrum superimponas ita ut ad os vulneris forpice emplastrum aperias et sic superimponas' *forpice* (sic cod. gall. s. XI) scripsisse cur negemus non video; cod. cantabrig. s. XV et paris. s. XIII *forfice* exhibent.

Librarii ergo obsoleti *forcipis* loco raro *forpicem*, saepius *forficem* posuerunt. iam patet, Vitruvii qui X 2. *forfices* (sic codicum consensus) de ferreis suculae manubriis quae saxa complectuntur, ad ea tractoriis machinis sublevanda dixit, testimonio non posse everti sententiam meam de temporibus, quibus hoc vocabulum in usum venerit. Vitruvium *forpices* dixisse non negabis, praesertim cum Columellam Cassiumque Felicem qui eadem qua Vitruvius sermonis rusticitate usi sunt *forpicem* (forpices) scripsisse memineris.

Forcipem, forpicem, forficem si de una eademque re dictos neque significatu inter se distinctos esse, si *forficem* multo recentiorem quam *forcipem forpicem*que esse, si posteriorum temporum homines imprimis *forfice* usos esse eumque saepe in *forcipis* locum substitutum inveniri recte demonstravi, iam consequens est ut haec tria vocabula etiam origine artissime inter se cohaereant neque eorum etyma dirimi possint. nam quibus *forfex* proxime accedere ad sanscriticum *bhurig*, non artissime cum lat. *forcipe* cohaerere videtur (v. Curtii Etymol. Graec.) vel qui cum Zeyssio (Kuhnii annal.

t. XIX p. 162) lat. *forficem* et umbr. *furfa* unum idemque esse putant, ei monstrent velim quomodo factum sit ut *forcipis* nomen quod sermo latinus ipse procreavit (iam Festus p. 91 coll. p. 84[8] *forcipem* a formo capiendo derivavit, cuius etymologiam secuntur tantum non omnes grammatici latini hodieque probant viri docti) multo antea in usu esset quam *forficis* vocula, quam non solum italicam sed etiam indogermanicam esse putent viri illi necesse est. et quam inter *forcipis forficis*que ponunt significationis differentiam, veteribus scriptoribus Varroni Calpurnio Martiali (qui *forcipes* significatu nostri *Scheere* usurparunt) plane ignotam fuisse, isti qui *forficem* cum sanscritico vel umbrico vocabulo coniunxerunt, non observarunt.

Aut fallor aut ipsa tempora quibus tres illae voculae inveniuntur recti iudicii viam nobis monstrant.

Forceps antiquissimum est horum trium vocabulorum. de eius etymo iam dixi. tempore propius ad *forcipem* accedit *forpex*, longius ab eo distat *forfex*.

Velius Longus GL VII 71[10] dicit: '. . . . nam in Ὀρθοεπείᾳ non quaeritur, quomodo scribendum sit, cum ad vocem legentis adlegatus sit ille qui scripsit, sed est quaestio in loquendo ut forpices et forcipes et arcesso et acerso. in his enim minimum erit dinoscere quo modo dicantur: proinde ac dixero scribes. in quibus tamen adnotabimus veteres per transmutationem syllabae forcipes dixisse. nam et Vergilius: versantque tenaci forcipe massam. forcipes dicimus ab eo quod formum capiant id est calidum'. satis mirandum est, quod nemo unquam corrupto huic loco medelam adhibuit. an putaverit quisquam, Velio *forcipes*, ut et veteres dixere et ipse (cf. *dicimus*) per transmutationem syllabae e *forpicibus* evasisse visos esse? hoc ineptum est. sed ipse non dixit, unde per transmutationem syllabae *forcipes* profectos esse arbitraretur. animadvertas quaeso inter verba *per transmut. syllabae* et *forcipes dixisse* deesse aliquid quo *forpices* con-

tineantur necesse est, ibique *dicimus* quod quo nunc legitur loco supervacaneum est desiderari et ita quidem ut *forpicibus, forcipes* et *dicimus* opponatur illud *veteres dixisse.* vide num sic fere verba Veliana in pristinum restituantur: '. . . . . . . in quibus tamen adnotabimus veteres, ⟨quos⟩ per transmutationem syllabae ⟨forpices dicimus⟩, forcipes dixisse. nam et Vergilius: versantque e. q. s.: forcipes ab eo quod formum capiant id est calidum'. sine dubio Velius *forcipes* et *forpices* non solum pro uno eodemque vocabulo habuit, sed etiam posterius e priore evasisse sagaciter perspexit. eodem quo Velius modo Consentius quoque de duobus his vocabulis iudicavit. is enim duos barbarismos unum per adiectionem alterum per transmutationem in una orationis parte facere demonstrans eum qui dicit *covacla* pro *cloaca item* ait *qui dicit forphicem pro forcipe,* GL V 397^{16}. *forphicem* (cod. M: *forpicem* pro *forcife*; eiusdem corrector: *forficem* pro *forcipe*) id quod medium inter cod. M eiusque correctoris scripturam intercedit, legendum esse ex ipsis Consentii verbis patet: nam sic *duo* barbarismi unus per transmutationem (*forpicem* e *forcipe*) alter per adiectionem (*forphicem*) in *una* forcipis vocula recte deprehenduntur.

Consentius ergo *forpicem* e *forcipe* profectum esse cum Velio arbitratur neque video cur eorum sententia falsa sit. easdem transmutationes video in *displicina* (quasi esset a *displicere*) e *disciplina* vide Consentium GL V 392^{24}, in *corpodicina*[1] pro *corpocidina* apud Philoxenum. sed Consentius ultra Velium progreditur. monstrat enim quae ratio inter *forpicem* et *forficem* intercedat. suis temporibus non iam *forpicem* sed *forphicem* pronuntiatum ipsius declarant verba. sine dubio in *forpice* pronuntiando, a qua incipiebat vocula, spirans effecit, ut sequenti *p* aspiratio adderetur. si vero *forphicem* pronuntiabant Romani — id quod negari

[1] Huc pertinet me quidem iudice etiam *lapidicina* pro *lapicidina* v. Consentium GL V 391^{23}. ceterum *lapidicina* saepe invenitur.

non potest si recte Consentii verba interpretati sumus — eo facilius erat e *forphice forficem* efficere quo maior similitudo inter *forphex* et *artifex* simil. intercessit. nisi fallor harum vocularum quae cum *faciendi* verbo compositae sunt analogia factum est ut in *forfice f*, quamquam nihil aliud est nisi *ph*, locum teneret. nam *f* in posteriore *forficis* parte testificantur etymologiae quae eum sive cum *faciendi* verbo sive cum *filo* componunt. si Consentius recte iudicavit barbarismum facere eum qui *forficem* (sive mavis *forphicem*) dicit, eiusdem optimae doctrinae vestigia deprehendimus in Placidi praecepto (p. 47[1]. Dev.): *forcipes non forfices dicimus* et in hac glossa: *forceps fabri: quae corrupte forfices dicitur.* (gl. Hildebr. 146[125]: . . . . . fabriq; corruptae . . . . .; gloss. Isid. p. 680[9]: . . . . . fabricae corruptae dicuntur.) fuerunt ergo grammatici, qui vera quae inter *forcipem, forpicem, forficem* intercedit ratione perspecta a posteriore hac forma quam recentiorem parumque urbanam viderent abstinendum esse docerent. nam huc spectat: *barbarismum facit* vel *hoc, non illud dicimus* vel *hoc* (sc. recte legitimeque), *corrupte illud dicitur.* quis fuerit Consentii Placidique cum quo glossa illa artius cohaeret fons investigatu difficillimum erit; certe non multum abest ab eo tempore quo *forpicem* iam *forphicem* vel *forficem* pronuntiare coeperant Romani. sed cum noviciam hanc formam abicerent alteri (Consentius et Placidus), alteri quod tria in usu esse vocabula videbant, distinguere haec et aliud ad aliud opificum genus referre studuerunt.

Haec antiquae optimaeque doctrinae vestigia quae in Consentio Placido illaque glossa deprehendimus si sequimur nos quoque, quin recte faciamus non dubito. equidem persuasum habeo *forficem* et recentissimum esse nomen et re vera e *forpice* profectum.

Si recte de *forfice* iudicavi, novum idque haud spernendum exemplum accedit ad superiora illa. in quo labialis spi-

rans ad aspirandam subsequentem labialem tenuem aliquid saltem potuisse videtur. ut in supra allatis exemplis sic hic quoque *f* pro *ph* est.

III. DE *PLEMINA* ET *FLEMINA* VOCVLIS.

Non ab re esse videtur in fine harum quaestionum, quae de *plemina*, *flemina* voculis fere ignotis in promptu habeo exponere.

Plemina et *flemina* distinguit Caper GL VII. 99[9] verbis hisce: 'flemina sunt ubi abundant crura sanguine, plemina cum in manibus vel pedibus callosi sulci sunt'. a Capro sumpsit Beda GL VII 272[17]: 'flemina sunt ubi abundant crura sanguine, plemina (flemina P L; fleumina M) cum in manibus vel in pedibus callosis (callosis L. collosis M. calloris P) sulci sunt'.

E Bedae iam corrupto exemplari hausit Papias: 'flemina cum in manibus vel in pedibus caloris sulci sunt' (sequitur e Placido petita glossa quam v. infra), nisi statuere mavis apud Papiam excidisse post *flemina* ea quae apud Caprum Bedamque inter *flemina* . . *cum in manibus* media intercedunt. item Capro haec glossa accepta ferenda est: 'plemina cum in manibus et pedibus collosi sulci sunt.' (Isid. gl. p. 691[50] . . calusi .; Mai cl. auct. VI 540.)

Contra Balbus de Ianua teste Du Cangio Lex. inf. Lat. V 305 praeter Caprum alium fontem adiisse videtur, cum *plemina* his verbis explicaret: 'plemina sunt ulcera et sulci in manibus et in pedibus callosis, unde pleminare: repplere secundum Vgutionem'.

His tantum locis *plemina* inveni. Caper interpretatur

callosos sulcos, at equidem tales ei ineptias tribuere dubito. certe sulci ut de vulneribus (cf. Claudiani hoc: 'grandes rubent in pectore sulci') sic de rimis quas manus pedesve sive ex inflammatione sive alia de causa agant dici possunt. Sed quid sibi volunt callosi sulci? neque ullum sensum e Capri interpretatione elicis, si cum Beda . . . . *callosis sulci* legis. cum calla in manibus pedibusve elata duraque sint, neque ipsi sulci dici callosi neque in callosis manibus pedibusve sulci esse possunt. et hoc animadvertas quaeso, cum prius Capri praeceptum hexametro versu adstrictum esse facili opera intellegatur — nam sic fere versum restituemus:

Flemina sunt [lassis?] ubi abundant sanguine crura — posterius hexametri ambitum longe excedere. quod si initium examinaveris: *plémina cum in manibús*, a quibus verbis hexametrum incepisse patet, hac quoque via eo perduceris, ut verbis *vel pedibus* altius vetustumque vitium inhaerere mecum consentias. Balbi interpretatio: *plemina sunt ulcera* cum sana esse videatur, cur a nobis abiciatur aut neglegatur non video neque dubito quin Capro pro *sulci* recte restituatur *ulcera*; ita ut Capri versus talis fuerit:

plemina cum in manibus callosis ulcera [fiunt?] quamquam *callosis* minime mihi placet. sed utut de genuino Capri versu restituendo iudicabis, *plemina* ulcera vel tubera esse non negabis.

Iam accedamus ad *flemina*. Caper l. l.: 'flemina sunt – ⏑́ | ubi abundant sanguine crura'. Festus Paulli p. 89[8] 'flemina dicuntur, cum ex labore viae sanguis defluit circa talos'. Placidus ed. Dev. p. 43[3]: 'fleminum: vestem (H R, ventis G, cf. Goetzium ad Plauti Epid. v. 670) in qua sanguis ambulando in pedes fluit' frustra in emendanda hac glossa laborarunt viri docti. Si Papiae glossam: 'fleminum cum sanguis ambulando in pedes fluit' contuleris, concedes mihi in Placidi glossa duas inesse conglutinatas velut has:

flammeum] vestem in qua [nubunt
fleminum, cum sanguis a. i. p. f.

quamquam restituere malim *flemina*. Certe haec est volgaris usitataque forma. cf. praeter Caprum Festumque Leidensem glossam in Loewii prodr. p. 204: 'flemina: sanguis in nervis (lege: venis, cf. quem mox afferam Celsi locum) difusus' et scriptorum locos. Sed fortasse agnoscendus nobis erit *flemen*[1] nominativus; cf. glossam apud Du Cangium III 321 'flegmen: enflure de sanc.'

Omnibus quas attuli glossis demonstratur non ipsum sanguinem dici flemina, sed quandam corporis affectionem quam peperit sanguis aliqua corporis parte quasi abundans. non sine fructu hic comparaveris Festi glossam p. 360: 'tama dicitur, cum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit' et Cornelii Celsi praef. I p. 4 Targ.: 'alia curatione opus et si sanguis in eas venas quae spiritui accommodatae sunt transfunditur et inflammationem quam Graeci *φλεγμονήν* vocant excitat'. Opinati sunt veteres sanguinem diffusum eo quo diffundi non liceret vel alicubi nimis abundantem tumores excitare, hos quidem tumores flemina nominabant. apud scriptores nomen id raro invenitur. Plauti Epid. v. 670: '. . . ita dum te sequor lassitudine invaserunt misero in genua flemina' (flegmina F 2), dicit enim Apoecides ambulando et Epidicum servum quaerendo iam genua sua intumescere. Plinii n. h. XXIII 28: 'eadem (sc. bryonia) in iumento homineque flemina [aut sanguinem qui se ad talos deiecerit] circumligata sanat'. quae uncis inclusi, ea ex Festo huc invecta esse puto. in Vegetii m. m. V 18 Schneid. (III 19 vulgo): 'curandum est hac ratione qua flemina (*flegma* vulgo; *flagmina* cod. Corb. teste Schneidero Notar. p. 60) in genibus diximus oportere curari.' *flemina* restituere dubito, cum III 48 (II 48 vulgo), ad quem locum relegat lectores Vegetius, *phlegmon* vulgatum sit, quod saepe exstat apud medicos v. infra.

---

[1] Falso flemen Quicheratius e Prisciano affert cf. adnot. crit. I 221[10] ed. Hertz.

Si recte se habent quas ipse temptavi harum vocum interpretationes, negari nequit *plemina* et *flemina* de eadem re usurpata esse. Iam patet, quam differentiam inter *plemina* quae ad manus et *flemina* quae ad crura pertinerent, posuit Caper, eam a grammaticis, ne dicam ab ipso Capro excogitatam esse, ut saepe inter duas unius vocabuli formas etiam significationis differentiam intercedere sibi persuaserunt. cf. Capri p. 99 inter *vorticem verticem*que p. 97^{14} inter *clipeum clupeum*que differentias; confer etiam quae de *forcipis forpicis forficis* formis dixi alia ad aliud opificum genus relatis a grammaticis.

Sed quae ratio intercedit inter plemina et flemina? Mireris quod nemo adhuc *plemina* vocabuli mentionem fecit, quamquam hoc a *flemina* disiungi non posse vel sola Capri horum vocabulorum coniunctione docemur. Certe non nihili prorsus facere debemus scripturas codicum Plauti *flegmina*, Vegetii Corb. *flagmina*, glossae Du Cangii *flegmen* exhibentium, quibus addo ex Bedae codice M *fleumina*, id est enim *flegmina*, ut *fleuma* pro *flegma* saepe legitur in Galeni Epist. de febribus. his testimoniis, fisi *flemina* et *φλεγμονήν* ad eandem revocamus originem. ut *φλεγμονή* artissime cum *φλέγω*, sic *fleg-mina* cum *flagro fla-men* (fulgo) cohaerere arbitror. *flegmina* recte abierunt in *flemina*; cf. *exagmen, examen*; *subtegmen, subtemen*. Contra *plemina* nisi fallor tralaticium est vocabulum; e *plegmone* — nam sic *φλεγμονή* graeca latine pronuntiabatur — Romanos ut suis vocabulis fortasse etiam ipsis *fleminibus* magis accommodarent primum *plegmina* tum *plemina* effecisse puto. Medici vero recentes neque *flemina* neque *plemina* usurparunt sed rursus novum finxerunt vocabulum *flegmon flegmonis*. cf. Cassii Felicis p. 74^{5} ed. Ros. Oribasii vers. lat. p. 19^{22} p. 19^{32} p. 20^{8} ed. Hag. Mai class. auct. VI 584 et p. 587. par illud quidem graeco *φλεγμονή* sed apud Graecos non magis exstat quam *plemina*. similem luxuriantis sermonis copiam etiam prisca illa *termonem* et *termina* ostendunt.

VITA.

Natus sum Carolus Georgius Brandis Havniae a. h. s. LV patre, quem praematura morte mihi ereptum esse valde lugeo, Christiano, matre Angelica e gente Reumert. inde ab a. LIX Bergstedtii, in Holsatorum vico prope Hamburgum sito, pater optimus per XX fere annos divini verbi erat minister. litterarum elementa in domo paterna doctus artibus liberalibus instructus sum in gymnasio Christianeo Altonensi, quod Ioanne Luchtio v. cl. rectore etiam nunc floret. autumno a. LXXIV Lipsiam me contuli ibique per quinquiens sex menses commoratus almam hanc studiorum sedem adii, cuius per V semenstria civis fui. docuerunt me viri clarissimi Brockhaus Curtius Drobisch Fritzsche Gardthausen Hübschmann Lange Lipsius Overbeck Ritschl Wundt Voigt Lipsienses, Buecheler Kekulé Leo Vsener Bonnenses. ut in seminarium philologorum regium reciperer Buecheleri et Vseneri egregia erga me benevolentia factum est. exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt grammaticis Curtius, historicis Gardthausen, sanscriticis Hübschmann, epigraphicis et oscis umbricisque Buecheler, archaeologicis R. Kekulé.

Quibus viris gratiam quam maximam habeo, imprimis Buechelero Curtio Vsenero, quos studiorum meorum semper et iudices mitissimos et adiutores humanissimos me habuisse fateor semperque me habiturum esse spero.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Euripidis Iphig. Aulid. vv. 366—69 interpolati sunt.

II. In Theocriti id. VIII v. 9 rectissime legitur *συρικτά*; falso Zieglerus *συριγκτά* exhibet.

III. Theocriti id. XIII v. 68 Ziegl. expungendum esse censeo.

IV. Stichi Plautinae vv. 762—768 (inde ab *tene tu hoc* usque ad *pro vino novam*) delendi sunt.

V. Cistellariae I 3 v. 11 initium sic restitue: *vi* vinolentus.

VI. Apud Festum p. 130 '*Mancini tifata*' et Paullum Festi p. 49 '*Curia tifata*' *tifata* substantivi vim accepit; primariam adiectivi (participii passivi) vim demonstrant *tifata iliceta* ap. Paullum Festi p. 366^{8}. *tifata* ab eadem profectum est stirpe a qua Sabini Varrone teste r. r. III 1, 6. collem *tebas* appellaverunt.

VII. Glossarii Amploniani p. 383^{181} glossam: 'teretrum: mafortia' emenda *teristrum* (theristrum).

VIII. Apuleium qui dicitur Minor De nota aspirationis ed. Os. p. 119 sic lege: 'post *p* ponitur aspirationis nota sicut post *c* locata sunt dicta. aut enim *p* erit capitalis dictionis ut Phedria aut praecedet eam *consonans* ut asphaltus: sequetur vero eam quaelibet vocalium ut *Phanium*' (vulgo *phanum*).

IX. *Ampullam* ab *ampora* (amphora) deminutiva quae dicitur terminatione derivarunt Romani.

X. *Forbea* apud Paullum Festi p. 84 non tralaticium vocabulum est ut putat Curtius Gr. Etym. ^{4} p. 301.

XI. Dialectorum Italicarum studium philologis utilissimum est.